

cto cum aptitudine materiae ad eam recipiendam; vel per absentiam formae in materia cum potentia proxima ad eam. Et hanc ipsam Privationem segmentum esse, ex eo constat, quia locum habet nec in parte Generali, cum in hac tradantur principia constitutionis, non generationis, hujus autem Principium, sicut adeo particolare, non omnibus corporis naturalis speciebus competens, patentibus ipsis Peripateticis, sit privatio; nec in parte speciali, cum nec generationis sit principium, hanc si penitus adspiciamus. Enim vero non datur Privatio ante generationem, quia proxima potentia & sufficiens dispositio ad formam nondum adest, immo forma tunc adesse non debet; nec post generationem, quia forma tunc adest, privatio autem est absentia formae; nec etiam in ipso generationis actu, cum generatio sit formae introductio. Adde quod si Privatio est principium, id vel erit, quando est, vel quando non est; non, quando non est, quod per se est manifestum; non etiam quando est, quia tum non potest esse generatio, haec enim non est sine forma. Formae vero opponitur privatio, nec cum ea simul consistit. Privatio, scribit, Adrian. Heereboord disput. select. 34. quae de formis est Prima th. 4, segmentum est, quod sic ostendit (assumita autem hypothesin Aristotelis de elementorum transmutatione): In transmutatione aquae in aerem, necessarijuxta Peripati doctrinam dandum est necessarium aliquod instantis, in quo & non ante, forma aquae recedit. Ut enim generatio, sic & corruptio fit in instanti: forma siquidem est indivisibilis & tota accedit, receditque in momento. Benè habet. Ante illud igitur instantis iu aqua nulla erat privatio, jam vero cum avolat forma aquae, advenit aeris forma, vel in eodem instanti, vel in diverso. Si in eodem, nulla intercedere potest privatio, siquidem ante illud aqua non erat privata formam suam, & in illo instanti admittit formam aeris: itaque hoc pacto concidit privatio. Sed oritur interior major difficultas. Quomodo in uno & eodem instanti eadem materia aquae possit habere duas formas specificas aquae & aeris.